



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses

Stapleton, Thomas

Antverpiae, 1595

Doctrinæ compendium. Cap. 13.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39546

IN LVCE CAP. 13.

Doctrinæ compendium. Cap. 13.

SVNT in hoc capite quædam doctrinæ capita annotatione digna. Primum humani ingenij errorem perstringit, quo iudicant temere homines, grauia in mundo passos grauius deliquisse. Hic error in toto libro Beati Iob accuratè refutatur: & duobus exemplis propositis à Christo euidenter refellitur. Alterum caput est de pœnitentiæ agendæ necessitate, quam ex aliorum castigatione discere oportet, vt iuxta illud Cypriani in serm. de lapsis, *tormeta paucorū exempla sūt omnium*. Terrium est de cauendo diuinæ gratiæ abusu, exemplo arboris infrugiferæ, quia Dei patientia nimium læsa vertitur in furorè. Quartum est de diaboli potestate in corpora humana simulque malitia, exemplo mulieris inclinatæ totis 18. annis. Quintum est de hypocrisi & superstitione cauenda, ne pretextu seruandij sabbati opera charitatis erga proximū intermittantur. Quæ tria posteriora loca in Prompt. Morali aliquoties tractata sunt. Sextum est de necessitate bonorum operū vt salui simus, dicente Christo, *Discedite à me omnes operarij iniquitatis*, id est, iniquis operibus addicti. Aliud est enim operari iniquitatem (quod nisi actū significat), aliud esse operariū, quod habitū quasiue professionē notat. Secundū & postremū caput contra hæreticos modernos notanda sūt, circa quæ Calvinus in suis ad hæc loca cōmentarijs prorsus silere maluit, quā vel suis dogmatibus contraria aliquo modo explicare, vel contra tam apertam veritatē frustra reluctari.

Vnum

7. Vnum hic est quod in exemplum trahi non debet. Christus Herodem principem vulpem vocat, non ex contemptu magistratus, sed ex auctoritate Spiritus, quā nemo imitari debet. Demonstrat quippe propriam sibi potentiam, quod opus legationis suo toto inuito mundo perficiet vsque ad constitutum à Patre tempus. Hoc proprium Christo fuit.

IN LVCAE CAP. 14.

14. *Retribuetur enim tibi in retributione iustorum.*

Bonorum
operum
merces.

VALET hic locus euidenter pro retributione bonorum operū apud Deum. Opponit enim Christus retributionem humanam, qui mutuam cōpensationem in suis conuiujs venantur, retributioni quē à Deo futura est in resurrectione iustorum. At illa alia veri nominis retributio est; ergo & ista. Hæretici hunc locum tractantes, imprimis Calvinus, nihil aliud à Christo hic doceri volunt, nisi in conuiujs illis humanis non exerceri charitatem, nec ad probādā charitatem illa sufficere. At Christus docet inuitationem pauperum non solum esse opus charitatis Christianæ, sed etiam opus cui à Deo retribuatur in resurrectione iustorum, id est, in illa generali omnium iustorum glorificatione. Sic hæretici bona pietatis opera nihil nisi fructus quosdam fidei & charitatis, signāq; & notas filij Dei esse volunt: aliquid apud Deum valere, vel ad salutem conferre, contra euidentissimas Scripturas nolunt.

23. *Comē*